DE

LEONE X.

PONTIFICE MAXIMO

ORATIO

Habita in Archigymnaſio Romano VI. Idus Februarias

A

F. THOMA MARIA MAMACHIO

CHIO ORD. PRAEDICATORUM.



ROMAE, MDCCXLI.

Ex Typographia THOMÆ, & NICOLAI PAGLIARINI.

SUPERIORUM PERMISSU.



REVERENDISSIMO PATRI FRATRI

THOMAE RIPOLL

ORDINIS PRAEDICATORUM

GENERALI MAGISTRO

FR. THOMAS MARIA MAMACHIUS

S. P. D.

QUIA ſemper animadverti ſtudioſe te operam dare, ut nequid de illorum gloria excidat, qui aliquo beneficio noſtrum Ordinem auxiſſent; propterea non dubitavi ultro abs Te petere, ut Orationem hanc meam conſecrari tuo Clariſſimo Nomini paterere. Etſi enim minus apte, minuſque polite perſcripta ſit, continet tamen res praeclare

clare geſtas LEONIS X. P. M. *qui dum vixit, nihil potius habuit, quam ut nullum Officium amantiſſimi erga Nos ac diligentiſſimi Principis praetermitteret. Nam & Thomam Cajetanum, cujus eo tempore praecipua erat, ut Tua nunc eſt, apud Nos auctoritas, in Sacrum Cardinalium Collegium cooptavit, & alios ſane multos, quos nunc recenſere non vacat, ornavit magnıs ac novis honoribus, & quod caput eſt, Inſtitutum Praedicatorum ſingularibus privilegiis amplificavit. Quin etiam, ut oſtenderet incredibilem quemdam amorem, & omnia in Nobis ſumma ſe ac ſingularia ſtudia poſuiſſe, quae ſuprema aegritudine correptus opere perficere nequiviſſet, morti proximus juſſit, ut poſt aliquot ab obitu annos in noſtrum hoc Templum ſuae reliquiae deſerrentur, quo ſaltem corpore apud nos perpetuo eſſe poſſet. Quae cum ita ſint, eo magis Tibi eſſe offerenda putavi, quo ſentiam, nullam rem, ne minimam quidem eſſe, quae ad Ordinem Tuo Regimini curaeque ſubjectum pertineat, quam Tu prae Tuis rebus privatis omnibus non habeas cariorem. Neque vero mea haec tantum eſt; ſed omnium etiam, qui Te norunt communis & pervulgata ſententia. Ac Nos quidem in ea magis magiſque confirmavit perpaucis ante diebus* BENEDICTUS XIV. P. O. M. *qui ut ſumma eſt erga Te benevolentia & voluntate, cum Te ſemel atque iterum Roma inſpectante convenerit, quo & amplecti*

pleƈti Te, & una Tecum colloqui poſſet; tum rem Tibi gratiſſimam ſe feciſſe eſt arbitratus, cum Beati Benedicti XI. Officium *tua cura, induſtriaque digeſtum conſideravit, probavit ipſe per ſe, poſtque jam ad Te attulit, promiſitque ſaepe ea ſe facturum, quae ad decus, & amplitudinem Dominicanae Familiae intereſſent. Itaque ob illuſtrem hunc Tuum amorem in Ordinem, atque in eos, qui de ipſo bene ſunt aliquando meriti, rogo Te etiam atque etiam, ut hanc ipſam Orationem meam Te auſpice imprimis atque Patrono in lucem prodire aequo animo feras, ne cui de Tuo ſtudio quidquam intermittere videare. Id ſi aſſequar, arbitrabor Leonem quidem in hoc etiam aliquem ſuorum erga Nos meritorum, me vero, qui Te Patris loco habeo, quique Tuam benedictionem imploro ac poſtulo, laboris mei uberes fructus reportaviſſe. Salvum Te atque incolumen diu eſſe opto.*

Dabam Romae in AEd. Minerv. VII. Idus Martias.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Ph. Spada Archiepiſc. Theodoſ. Viceſ-ger.

IMPRIMATUR,

Fr. Nicolaus Maria Ridolfi Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

QUOD mihi erat optatum maxime, & quod unum ad opinionem hominum, quae eſt de virtute Leonis X. confirmandam augendamque plurimum conducere poſſe cenſebam, hoc ubi ſummo beneficio veſtro datum mihi, atque oblatum eſt, incredibili me primum voluptate laetitiaque perfudit, tum etiam vehementer impulit, ut animum ab omni alia cogitatione ad praeclara Pontificis Optimi geſta illuſtranda, atque in apertam lucem proferenda traducerem. Nam etſi viros pleroſque eloquentia, & eruditione praeſtantes jam inde a ſextodecimo Saeculo ad annum uſque ſuperiorem de hoc genere laudum copioſe ornateque dixiſſe intelligerem; non ignorabam tamen, ob rerum copiam & ubertatem illuſtria quaedam facta fuiſſe ab illis ſilentio praetermiſſa, quae certe ſi producta fuiſſent, plurimum dignitati hominis attuliſſent lucis & ornamenti. Ego vero quum diu in ea Urbe, in qua Leo Pontifex ortus, eductus, & in bonis artibus a viris doctiſſimis inſtitutus, & poſt ubi jam rerum ſummam eſſet adeptus, aliquando verſatus fuerat, conſtitiſſem, itaque me in hiſtoriis, quarum ſunt plenae illius loci memoriae oblectaſſem, ut multum temporis in eis pervolvendis intelligendiſque conſumerem, id mihi praecipue conſequutus eſſe videbar, quod in privatis monumentis aliqua offendiſſem, quae ſi pervulgatis atque communibus eſſent adjuncta, plurimum ad decus, & laudem tanti Principis conferre poſſe exiſtimabam. Verebar autem ne ſi hoc tam idoneum tempus, atque haec tam apta tamque opportuna occaſio mihi eſſet ademta, quae tot vigiliis laboribuſque adhibitis collegiſſem, aut ſepulta diu jacerent, aut injuria temporum extabeſcerent. Nunc tamen eſt cur ingenti gaudio cumuler, quod ſummo conſenſu, graviſſimoque imprimis atque maximo omnium veſtrum judicio id tempus ſit datum, ut bonarum artium patroni; bonarum autem artium? immo vero diſciplinarum omnium, legum, judiciorum, Sacrorum Ordinum, Urbis, Religionis defenſo-

ris, ac vindicis nomen, & gloriam celebrarem. Ac decet quidem ejuſmodi laudatio ampliſſimum conſeſſum veſtrum, qui admirabiles in omni doctrina progreſſus feciſſe videmini, quum ſingularia Leonis erga homines merita, magna ſui parte contineat, reconditis in artibus atque in quadam litterarum varietate verſatos. Quid enim Vobis tam jucundum auditu, & cognitu eſſe poteſt, quam ex infinita pene multitudine hominum extitiſſe unum, qui diligentem navarit operam, ut deſerto atque jacenti Ordini veſtro non ſolum manus porrigeret, ſed etiam priſtinam reſtitueret dignitatem? Nam video equidem non eam fuiſſe illius temporis rationem, ut qui ſe oſtentarent, quamquam minus valerent ingenio, hi umquam ad Cathedras, aut ad dignitates, quae ſunt cum eruditione conjunctae, poſſent irrepere. Hac enim abuſione ſuus adimitur dignitatibus honos, peritque funditus Ordinum majeſtas, & amplitudo. Inerat quippe in liberali Pontifice vehemens quaedam de omnibus bene merendi cupiditas; ſed in beneficentia delectus erat meritorum. Noverat enim doctos ab imperitis acute diſtinguere, cavebatque diligentiſſime, ne quis honoribus iis afficeretur, qui proprii eſſent eruditorum. Qua ſane liberalitatis, gravitatiſque judicii laude, cum nihil rarius, nihil ad amplitudinem hujus loci accommodatius eſſe rear, agam equidem, ut quam late patuerit, compertum vobis, & cognitum eſſe poſſit.

Sed antequam ad eam orationem venio, quae eſt de liberalitate, videntur ea mihi paucis exponenda, quae de beneficio in ſapientem collocando & praeclare dicta ſunt a majoribus, & ſcripta accurate & a me ſaepe ac multum animadverſa, ut conſtituta hujus munificentiae notione, haec tanta Pontificis Optimi virtus non ab oſtentatione, ſed a voluntate profecta eſſe intelligatur. Ego enim ſic exiſtimo; proprium eſſe illorum, qui primas in Republica partes obtinent, ut ſumma ope ac diligentia coli, & obſervari curent ſtudia litterarum. Qui ſane locus magnus in politicis eſt a Platone (1) Ariſtotele (2) totaque juris publici peritorum familia tractatus uberrime (3). Hi namque res a memoria ſua propter vetuſtatem remotas conſiderantes, multas urbes conſtitutas, plurima bella reſtincta, optimas ſocietates, firmiſſimas amicitias viderunt fuiſſe doctrina, & eloquentia comparatas. Habent enim hoc ſibi

(1) Plato *lib. 7. de legibus pag. 893. ſeqq. edit. an. 1602.*

(2) Ariſtoteles *lib. 7. Politic. cap. 8 pag. 581. & lib. 8. cap. 2. ſeqq. pag. 603. ſeqq. tom. 3. edit. Pariſ. an. 1654.*

(3) Puffendorf. *de J. N. & G. lib. 2. cap. 4. Heinec. P. J. N. & G. §. 188 & alii plerique.*

ſibi praecipuum, qui ſeſe litteris dediderunt, ut non in negotio ſolum, ſed in iis quoque rebus, quae languorem afferunt ceteris, cum virtute, & dignitate verſentur. In otio quippe, in quo inertes homines nihil agendo male agere diſcunt, longe fugato omni genere vitiorum, in legendo, aut in ſcribendo ſtudium operamque conſumunt, quaerunt ſedulo quid faciendum, aut quid ſugiendum ſit, quid laudi, quidve contra vitio detur; inſpiciunt tamquam in ſpeculum vitas majorum, ſibique ex aliis ſumere exempla conantur; ac ne plura, quae ſunt pene innumerabilia, conſecter, leges naturae, magiſtratuum inſtituta, quae ſunt de civibus, de pace, de bello, de ſociis, & jura Sacrorum inveſtigant diligentiſſime, ut caput, famam, atque fortunas bonorum, rempublicam quoque ac Religionem in negotio poſſint defendere. Coli autem diſciplinae profecto nequeunt, niſi praeſto adſit vis & copia magna virorum excelſo ſubactoque ingenio praeditorum, qui ſtudioſae juventuti viam ſternere poſſint ad veritatem. Sed cum hoc tantum onus imponere nemo ſapienti poſſit, nihil ut ei putet licere neſcire, partitionem quamdam artium faciat Princeps neceſſe eſt, curetque vehementer, ut qui Theologiae, aut juris dicundi laude, aut quavis alia facultate ceteris antecedunt, in ea ſe quam norint diſciplina exerceant, nequis interdicto cum iis contendat, aut eos ex jure manu conſertos vocet, quaſi temere in aliorum poſſeſſiones irruerint. Atque hos quidem omnes, quorum vita perſpecta in litteris eſt, obſervare, & venerari, & ornare etiam beneficiis debet, ut his quoque generibus ſtudiorum ſint expoſita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem.

Ad Leonem nunc oculos mentis advertite; videte, quo tandem modo ad ſtatas eas regendae augendaeque Reipublicae leges, provectioris vitae rationem accommodaverit. Nam tacitus equidem praetereo, quae illius jam pueri erga Politianum (1) Urbanum Valerianum (2) Gentilem (3) & Demetrium Chalcocondylam fuerint me-

(1) His namque Magiſtris uſus eſt jam inde a puero. Teſtatur id de Politiano Petrus Alcyonius in *Medico Legato Poſteriore pag.243. edit. an.1707* Eraſmus Roterodamus *Epiſt.174. ad Leon.X. col.149. Tom.3. p.1. edit. Amſtel. an.1703.* Voſſius *lib.3. De Hiſtoricis Latinis cap.8. pag.195. Tom.4. edit. Amſtel. an. 1699. &c.*

(2) De Urbano Valeriano Minorita eruditiſſimo, Orientaliumque linguarum peritia claro multa habet Pierius Valerianus *lib.2. de Litterator. infelicitate pag.398 edit. an.1707.*

(3) Gentilem, qui poſt ad Epiſcopatum Aretinum evectus fuit, Leonem jam puerum inſtituiſſe memoriae traditum eſt ab Alcyonio *lib. mox indicato pag.244.*

rita (1). Ejuſmodi namque laudes Patri, vel Proavo, vel reliquis Mediceorum familiae ornamentis acceptae referri poſſent, qui ſingularibus propoſitis praemiis, viros in omni doctrina exercitatos, cum ex aliis regionibus, tum e media imprimis Graecia Florentiam accivernnt, ut extinctas, atque abolitas fere diſciplinas in lucem atque in ſocietatem hominum revocarent (2). At vero illius gloriae, quam Cardinalis, aut Pontifex Leo conſequutus eſt, ſocium habuit neminem: tota illa quantacumque fuit, tota inquam, ipſius fuerit neceſſe eſt. Nihil ſibi ex ea laude parens, nihil avus, nihil familiaris, nihil magiſter decerpſit.

Vix enim ex ephebis egreſſus, accepta ab Innocentio Pontifice (3) purpura, tanta perſpicacitate, tanta eruditione, tanta prudentia, & providentia valuit, ut quod numquam alicui id aetatis contigerit,

(1) Alcyonius *l. c. pag.* 247. ſic inducit Julium Medicem alloquentem Johannem Legatum, qui in Pontificatu Leonis nomen adſumſit. *Quid dicam de tua litterarum Graecarum ſcientia & dicendi facultate? Hanc enim quamquam ab ineunte pueritia hauſiſti a fontibus Atticis, quos tibi aperuit Demetrius Chalcocondylas Atticae eloquentiae ſua memoria facile princeps.*

(2) Coſmum Proavum, Petrum Avum, Laurentium que Medicem Leonis X. Patrem de litteris optime fuiſſe meritos teſtata ſuperius, ac pervulgata res eſt. Nam praeter ceteros ſapientes viros, quos magno numero fuiſſe conſtat, Graecos potiſſimum colere, quorum opera artes, & facultates liberales omnes, quae viciſſitudine temporum interciderant, in Italiam ſunt revocatae. Adeundi Paulus Jovius *lib. 1. de vita Leonis X. pag.* 13. *Tom. 1. Oper. edit. an.* 1577. Lilius Gregorius Giraldus *Paraenaeſ. Adverſ. Ingratos pag.* 521 *ſeq. tom.* 2. *edit. an.* 1580. Nicolaus Leonicenus in Epiſtola ad Angelum Politianum, quae exſtant *apud Politian. lib.* 2. *Epiſtolarum pag.* 17. 20. 21. *edit. an.* 1553 & Joannes Michael Brutus *lib. 1. Hiſtor. Florent. pag.* 19 *edit. an.* 1562. Et Marſilius Ficinus *lib. 1. Epiſt. 1. ſeqq.* Renatae ſunt autem litterae in Aedibus Mediceis, quas nunc, ſummo magnorum virorum commodo obtinet ampliſſima Riccardiorum Familia. Meminit ſane Johannes Lamius Florentiae decus in Epiſtola ad Bernardinum Riccardium *Vol. 1. Deliciar. Eruditor. Munifico*, inquit, *Muſas Muſarumque Alumnos patrocinio tueris, ac foves, & me imprimis Tu Paterque tuus peculiaribus iiſque maximis beneficiis obligaviſtis. Nam quum me a natali ſolo hoc haberetas, deſpectaſque ſolum vertere iam meditarer, vos uni me bono animo eſſe, & praeſidio veſtro atque opibus adjutum, in patria Urbe permanere, voluiſtis, &c.*

(3) Angelus Politianus *lib. 8. Epiſt. 5. Ad Innoc. VIII pag.* 108. *Facere*, inquit, *non poſſum, quin teſter apud Te, Summe Pontifex Innocenti ſuiſtum hoc animi gaudium; quod adoleſcentem aſſiuum Johannem Laurentii Filium, Florentinae Reipublicae delicias, tuorum numero Fratrum, ſummoque Senatus Collegio adoptaveris .... Quid ipſe Johanne Cardinali noſtro perfectius? .... Ita natus, & factus, ita alitus atque educatus, ita denique eruditus, atque inſtitutus hic eſt, ut nemini ſecundus ingenio, nec aequalibus induſtria, nec praeceptoribus litteratura, neque gravitate Senibus conceſſerit ..... Pretextus autem, quam eſt ea lictem ſuſceptus, multis magniſque praeſagiis iis iam animis ſpem concepit. Et quoniam tale de ſe ſpecimen dabat, ut ejus, jam tum virtutis facere fidem, compulſus ſemo Ludovicus ille Francorum Sapientiſſimus, idemque Sanctiſſimus Rex, ut ſummi quidem Archiepiſcopatus faſtigio magnum hunc ipſi, plane adhuc puerum, iſt arbitratus.*

gerit, Summo eidem Pontifici & in Eccleſiae, & in Patriae (1) quoque ſuae ditione Legatus, aptum ſe omnino praebuerit, qui ingentem rempublicam regere poſſet ac moderari. Itaque ut omnibus talem ſe in imperio futurum oſtenderet, qualem antea cognitum judicaſſent, nihil potius habere videbatur, quam eorum obſequi ſtudiis, qui doctrinam ſibi aliquam comparaſſent. Quid enim ego Sapientium virorum familiaritates? quid Philoſophorum, peritorum, juris, perfectorum hominum dicendo, Poetarumque elegantiſſimorum quotidianam aſſiduitatem atque frequentiam? quid honores illis adhibitos? quid praemia ipſa commemorem? Difficile eſt enumerare quot viri, quanta ſcientia, quantaque in ſuis ſtudiis varietate eo tempore Florentiae verſarentur. Praeſtabant rerum grammaticarum Graecarum imprimis, & Latinarum peritia Demetrius Chalcocondylas (2) Laſcares (3) Michael Marullus (4) Thomas Linacrus (5) & Angelus ille Politianus,

A 6 qui

(1) *Angelus Politianus lib. 4. Epiſtola 2. ad Jacobum Antiquarium pag. 94. At. 1*, inquit *Laurentii Filius, annorum duodeviginti Johannes, & Cardinalis Ampliſſimus .... Pontificis Maximi non in Eccleſiae Patrimonio dumtaxat, ſed in Patriae quoque ſuae ditione legatus, talem tantumque ſe, tam arduis negotiis gerit, & praeſtat, ut omnium in ſe mortalium oculos converterit, atque incredibilem quamdam, cuireſponſurus planiſſime eſt, expectationem concitaverit.* Conſule etiam Jovium lib. 1. *de Vita Leonis X. pag. 15.*

(2) Jovius in Elogiis pag. 55. *Tom. 1. operum Demetrius Chalcocondylas*, inquit, *vir utique lenis & probus Studium Florentiae instauravit deſertum ab Argyropylo, & a Politiano deſiſtentibus Graecis occupatam .....* *Manſit Demetrio honeſtus gratiae locus apud Laurentium* (Medicem) *vel invito, & obiquis ſemper inciſſimis Politiano, qui cum necumene e Latinis ſibi parem pateretur, Graecus ipſi eruditior exiſtimari volebat. Diviſit ideo iſta munera Laurentius, ut aemulationis litis diſſineret, & filii praeceptorum contentione ad diſcendum accenderentur.* Demetrii laudes celebrant Pierius Valerianus lib. 1. *de Litterat. Infel. pagin. 135.* Petrus Alcyonius in *Medice Legato Prior. pag. 69 & in Poſter. pag. 147.* Lilius Greg. Giraldus *Dialogo 2. De Poetis ſui Tempor. pag. 399. Tom. 2.* & Michael Marullus lib. 3. *Epigr. ad Laurentium Medicem.*

(3) De Laſcare conſuli poteris Jovius in *Elogiis Virorum Doctor. pag. 59. T. 1. & lib. 1. de Vita Leonis X. pag. 13. T. 1.* quo loco de Laurentio Leonis Patre loquens: *Nec Florentiae*, inquit, *deerant Graecarum, ac Latinarum litterarum Clariſſimi Profeſſores, alii que ingenio atque facundia inſignes quibuſcum familiariſſime vivebat. In iis fuere Picus Mirandula, Politianus, Marſilius Ficinus, Chriſtophorus Landinus, & ex Graecis Joannes Laſcares, & Demetrius Chalcocondylas &c.* De Laſcaris eruditione ſingulari haec habet *Leo X. Epiſt.* ad Marcum Muſurum Cremonſem *lib. 4. Epiſtol. Petri Bembi Epiſt. 8. pag. 31. Johannes Laſcaris vir propter ſuas virtutes, & multam in iis Litteris* (Graecis) *doctrinam, mihi valde carus.* Vide lib. 2. *de Infelicitate Litterator. Pierii Valeriani pag. 136. ſeq.*

(4) Michael Marullus vir Graece & Latine doctus, cujus extant elegantiſſima Epigrammata ad Laurentium Medicem, & alia quaedam opuſcula, non ſolum a b Jovio in Elogiis Virorum Doctorum pag. 52. ſed etiam Pierio Valeriano lib. 2. *de Litteratorum Infelicitate pag. 351. ſeq.* celebratur.

(5) De Thoma Linacro haec habet Jovius in *Elogiis pag. 119. Ad perdiſcendas Graecas Litteras in Italiam profectus, Florentiae Demetrium, & Politianum audivit, eoque inſtituit morum ſuavitate atque modeſtia, ut a Magno Laurentio liberis ſuis familiaris ſtudiorum conſuetudine, quamquam aetate major, ſocius adderetur. Inde vero multis variae doctrinae ornamentis adauctus .... ad Urbem contendit.*

qui praeterea (1) tanta eloquentiae artiſque poeticae laude valebat, ut in hoc genere ſtudiorum, in quo perraro exoritur aliquis excellens, veteres omnes aequaſſe videretur. In Platonis doctrina principem ſibi locum vindicabat Marſilius Ficinus (2) cujus tantum erat flumen ingenii, tantaque cognitionum vis atque copia, ut Academicos, qui ante viguerant, quod pace veterum dictum volo, longo poſt ſe intervallo relinqueret. Florebat autem unus omnium maxime Johannes Picus Mirandula, quippe qui multarum diſciplinarum infinitam pene materiem ſcientiae cogitatione comprehendiſſet. (3) Nihil de Veſpuccio (4) loquar, nihil de Landino (5) nihil de Hieronymo Benivienio,

(1) Nolo equidem recenſere hoc loco Scriptores, qui Politianum laude celebrarunt. Sunt enim pene infiniti. Hoc uno Petri Danielis Huetii viri eruditiſſimi teſtimonio utar, quod maxime ad rem facit. *Huetian. 6.3 pag. 39 Edit. an 1713 Politien, dit-il, ſe ſignala principalement dans les belles Lettres. Son ſtile en proſe, & en vers eſt plein d'elegance, & d'agrement .... Cette Ode (que publia ſon ami Landin) eſt un Chef-d'oeuvre, & s'eſt l'egaler aux plus belles d'Horace.* Sunt qui poſſuine hominem obiiſſe dixerint. Sed injuria. Nam in *memoriis mortuorum Coenobii Florentini S. Marci FF. Praedicatorum* qui in Eccleſia ſepultus eſt, P. Robertus Ubaldinus teſtatur, ſe quidem ipſo illo Magiſtro quondam ſuo agenti animam, ſeque jam Deo O. M. commendanti. Quin etiam petiit Politianus ab Ubaldino S. Dominici habitum, eumque ſat ille obtinuit paullo ante mortem, quemadmodum Ubaldinus ipſe memoriae tradidit. Hoc ego monumentum Cl. Viro Salvino Salvinio Canonico Florentino communicavi, quo in *Vitis Canonicorum Eccleſiae Florentinae*, quas brevi ut arbitror in lucem edet, hominem a calumnia liberare poſſit.

(2) Angelus Politianus *lib. Epigramm. p. 594.*

Mores, ingenium, muſas, ſophiamque ſupremam

Vis uno dicam nomine, Marſilius.

Videri poſſunt Scriptores illius temporis, quo Marſilius vixit, fere omnes, qui eum paſſim ſummis laudibus ad coelum uſque extollunt.

(3) Johannes Picus Mirandula, *ingeniorum Phoenix*, omnis doctrinae laude floruit. Hujus vitam eleganter perſcripſit Johannes Franciſcus Picus Mirandula ejus Nepos. Laudatur a Politiano, a Ficino, ab Alcyonio, a Pierio Valeriano, a Marullo, & a ſequentibus alus quos numerare non vacat. Jacet in Templo Sancti Marci Florentino.

(4) Veſpuccium Canonicum Florentinum celebrat Marſilius Ficinus *lib. 3. Epiſt. 21. pag. 731. T. 1. oper. edit. an. 1561.* Ac merito ille quidem. Fuit enim Georgius in Veterum cum Graecorum, tum Latinorum doctrina mirifice exercitatus. Summa fuit ejus dum Latus eſſet, cum Laurentio Medice conſuetudo. Poſt Dominicanae familiae in Coenobio S. Marci nomen dedit, ut ex Ms. *Cronico Profeſſorum*, &c. *ejuſdem Coenobii* liquet. Inde Renatum Hieruſalem & Siciliae Regem, & Americum Veſpuccium Nepotem ſuum, cujus tanta eſt celebritas, & fama, in rebus grammaticis inſtituit, quo tempore Sextum Philoſophum e Graeco in Latinum ſermonem vertebat. Perſcite Americi verba referre, quod etiam ſint & ad Georgii noſtri laudem conducant. Sic ergo ille in Epiſtola *ad Renatum Regem pag. 832. Spero, inquit, quod Tua Majeſtas me de clientulorum ſuorum numero non excludet, ubi recordabitur, quod olim mutuam habuerimus inter nos amicitiam tempore juventutis noſtrae, cum grammaticae rudimenta imbibentes, ſub probata vita, & doctrina Venerabilis, & Religioſi Fratris de S. Marco, Fr. Georgii Antonii Veſpucci avunculi mei pariter militaremus. Cujus avunculi veſtigia utinam ſequi potuiſſem; alius profecto eſſem quam ſum.*

(5) Chriſtophorus Landinus Politiano, Ficino, & Laurentio Medicea familiariter uſus eſt. Ptolomaei, Latinarum, Etruſcarumque rerum peritia ſingularis. Illuſtravit Plinium, Horatium, & Dantem Alligherium eruditiſſ. animadverſionibus. Hinc ab Angelo Politiano commendari meruit. Qui *Ode ad Horat. Flaccum* v. 21. haec habet:

Talem Tiburtis reddidit, & lyrae

Landinus veterum laudibus aemulus, &c.

nio,(1)quorum, ob multiplicem litteraturam incredibilis erat apud omnes exiſtimatio Cum his una Johannes(nam Cardinali adoleſcenti id nomen erat) quoad poſſet atque liceret tempus continenter tranſigere, regia plane munificentia eorum aliquos, quorum tenues erant opes, locupletare, (2) omnes denique favore & gratia ſibi conciliare ſtudebat. Mirabantur hi quidem certe magnum Johannis ingenium, magnum item & ad optima quaelibet natum animum, tum omnem liberalem, & dignam homine nobili ab eo partam eruditionem. Sed quid ego hi dico tantum? Civium ille univerſorum ad ſe ora oculoſque converterat, quum in eam ſingulos, cui deinde reſpondit, expectationem concitaviſſet. Quamobrem mirabile dictu eſt, quam jucundam virtutis nominiſque ſui memoriam reliquerit omnibus, quo tempore Florentia ipſe deceſſit.

Sed agite, atque hujus profectionis cauſſam, quoniam permagni ad Leonis gloriam intereſt, ex iis quae dicam cognoſcite. Creverat jam aetate a quanto, cum circumſpectis rebus omnibus ſummam fecit cogitationum ſuarum; quam breviter, ſi potero, explicabo. Videbat quidem ſolertiſſimus adoleſcens plurimum ſe in poeticis, atque in rhetoricis profeciſſe; Philoſophorum quoque dogmata ſibi eſſe comperta; tenere praeterea ſe veterum exemplorum vim, atque copiam; reſtare tamen ſacri civiliſque juris ſcientiam, rerumque plurimarum comprehenſionem, ſine qua, in perſona praeſertim & dignitate, verborum volubilitas manis eſt atque irridenda. Itaque Piſas, quo Laurentius Medices peritiſſimos canonum, civiliumque legum cultores vocaverat, ut in utraque facultate juvenes inſtituerent, proficiſci adoleſcens decrevit, idque conſilii quam ociſſime potuit, exequutioni mandare non dubitavit. (3) Deus Immortalis! Tantane eſſe in Principe aliquan-

 do

(1) Meminit Benivieni Johannes Franciſcus Picus Mirandulanus in Vita Joh. Pici. Neque vero ille Johan, ſed alii etiam plerique, qui ea aetate florebant. Extant ejus etiamnum opuſcula quaedam, & Apologia adverſus Hieronymi Savonarolae obtrectatores. Conditus eſt in Templo S. Marci in eodem tumulo, quo & Johannes Picus Mirandula. Eſt autem eorum epitaphium hujuſmodi.

Johannes jacet hic Mirandula cetera norunt,
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes
Obiit anno ſalutis MCCCCLXXXXIV. Vixit annos XXXII.

Hieronymus Benivenius, ne disjunctus poſt mortem locus oſſa ſepararet, quorum animos in vita conjunxit Amor, hac humo ſuppoſita poni curavit. Obiit anno MDXXXII. Vixit annos LXXXIX. Menſ. VI.

(2) Vide Marſilium Ficinum *lib. 9. Epiſtola 10. ad Johannem Medicem pagin. 898. & Epiſtola ad eumdem, quae eſt praefix. Interpret. Latinae lib. de Myſteriis Jamblichi*, & Petrum Alcyonium *in Medice Legato. pag. 16 ſeq.*

(3) Jovius *lib. 1. De Vita Leonis X. pag. 13.*

do potuit erga ſtudia litterarum propenſio? Novum id eſt, Auditores, & ante hoc tempus inauditum. Quid enim rarius dici, aut commemorari poteſt, quam Cardinalem Ampliſſimum, in maxima celebritate, atque in oculis civium verſari ſolitum, amicis, patria, ampla & magnifica domo relicta, in ea ſe loca transferre, in quibus publicae vigent Academiae, ut aliis ſe tradat in diſciplinam? Ac Piſis quidem ille rationem invenit & modum, quo erga ſapientes homines magis magiſque beneficus eſſe poſſet. Nihil eo tum temporis blandius, nihil benignius, nihil liberalius fuiſſe crediderim. Atque utinam majores noſtri litteris tradidiſſent, quae illius tunc fuerit pietas erga Philippum Decium (1) & ceteros Piſani Athenaei moderatores, quorum praeſtabilis erat in univerſo jure ſcientia, haberet profecto immenſum, pene dixerim, campum, in quo libere vagari & exultare poſſet oratio. Ego certe quoties illius in viros doctos officia, ſtudiaque conſidero, & varia dicta atque facta animo colligo, (2) in eam facile inducor opinionem, ut arbitrer, conſueviſſe Adoleſcentem invitare omnes ad ſe, hortari ut frequentes venirent, polliceri eis ſtudium quidem ſuum & operam, ſine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis, gratiam demum & auctoritatem quantum poſſet, quantumque valeret. Nullam enim rem eſſe putabat, in qua ipſe Reipublicae plus umquam prodeſſe poſſet, nullam, quae ſuis civibus gratior, aut optatior eſſe deberet, quam viros tanta doctrinae laude cumulatos officio, obſervantia, indulgentia, liberalitate ſibi, familiae, patriae quaſi vinculo quodam conjungere.

Ejuſmodi igitur animo adverſus Piſani Lycei Doctores cum eſſet, in quantum luctum & laborem detrudi debuit, cum Patris hortatu Romam migrare compulſus eſt, ut ab Innocentio Pontifice vitae recte magnificeque inſtituendae rationem edoceretur? (3) Incredibile memoratu eſt.

(1) Philippus Decius celebris Juriſconſultus Piſis docebat, quo tempore Johannes Cardinalis eodem ſe contulit, ut in utroque jure poſſet inſtitui. Vide Jovium in Elogiis pag. 164. & Freherum in Theatr. Viror. Eruditor. Tom. 1. P. 11 pag. 84

(2) Leo X. Epiſtola ad Johannem Franciſcum Picum Mirandulam. *Nobis*, inquit ſemper peculiare fuit, quod & domus noſtra quoque antea obſervavit, eos homines libenter & amplecti, & fovere, qui aliqua doctrinae, & virtutis conditione praeſtarent. Et apud Petrum Alcyonium in Medici Legato Priore pag. 16 *Nec ſane*, inquit, *odioſum cuique eſſe putaverim teſtificari me ſemper operam dediſſe antequam Innocentius VIII Pontifex Max. me in ſummorum Antiſtitum numerum cooptaret, ut dignus viderer tanti Pontificis judicio, & honore, quo ille ſua nominatione me decoraturus erat. Quod ſi mox tanto honore graditus, religionis laudem ſtudioſius ſpectavi, . . . ſi aſſiduam optimi cujuſque fortunam ſublevavi, ſi litteratis praeſidio fui, certe nihil aliud videor mihi feciſſe, niſi id quod ex officio a me fieri oportebat.*

(3) Paulus Jovius lib. 1. de Vita Leonis p. 34.

eſt, quam hoc Laurentii conſilium Johannis animum perturbaverit. AEgre acerbeque ferebat divelli ſe ab eorum ſocietate, qui familiam in jure civili ducebant. Optimo namque atque ampliſſimo quoque digniſſimam eſſe arbitrabatur cum hoc genere hominum diuturnam diſſerendi confabulandique rationem. Errare ſcilicet cenſebat eos, qui ſermonibus ejuſmodi nolunt perſonas tam graves illigari; quaſi vero clarorum virorum aut tacitos congreſſus eſſe oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerum colloquia leviorum. Age vero dum Romam ſe contulit, nonne tempus omne quod a negotiis vacuum habebat, hoc totum quantum erat, vel in legendo, vel in colloquendo cum ſapientibus conſumebat? Quod ſi caſu quodam ſiniſtro atque infeſto dum in hac Auguſtiſſima Urbe ad ſui nominis gloriam alias etiam minus notas minuſque pervulgatas conabatur adjungere, de adverſa Patris valetudine, de inſtante morte deque interitu ipſo certior factus cum magnis itineribus Florentiam (1) verſus contenderet, dolere primum, & graviter pati jacturam, gemere deinde, & lacrimari cepit, quod ſuaviſſimum ipſe parentem, litterae vero patronum ac vindicem amiſiſſent; ſopito tamen aliquanto maerore nihil ſibi reliqui eſſe putavit, quam ut ſe ad aemulationem excitaret. Cogita, ſibi ipſi dicere videbatur: qui ſis; quid dare populo Florentino poſſis; quid reddere majoribus tuis debeas. Circumſtant te ſummae auctoritates, quae te oblivisci laudis domeſticae non ſinant, quae dies noctesque commoneant: Sapientiſſimum tibi Patrem, graviſſimum Avum, optimum Atavum fuiſſe. Si Laurentii in bene de doctis merendo ſtudium, ſi Avi Petri, Coſmique Proavi liberalitatem aemulari contenderis, intelligent quidem omnes, magnam te et maxime utilem, & prope depoſitam Reipublicae partem ſuſcepiſſe. Ac verbis ſane rerum exitus mirifice reſponderunt. Major tunc atque frequentior cepit eſſe in Mediceas Ædes eruditorum concurſus, & modo ſe in poeticis cum Graecis tum Latinis exercere omnes, modo de doctrina Platonis, modo de legibus, & inſtitutis majorum diſſerere.

Lux quaedam Urbi Florentiae videbatur oblata; ſed ea certe, maximo bonarum artium detrimento, diuturna eſſe non potuit: cum cives neſcio qui (2) partium ſtudio inflammati, & ſpe novi generis praedae incitati ad vim, ad manus, ad cedem, ad direptionem, id obtinuiſſent, ut civis optimus furori, telis, & minis cedere, patriamque ipſam deſerere

(1) *Jovius lib. 1. de Vita Leonis X. pag. 15.* (2) *Jovius ibid. pag. 16*

re cogeretur. Ac nemo quidem repetere ſine lacrimis poteſt improborum hominum cum turba, & colluvie plebis in aedes muſarum irruptionem, vaſtitatem domus, clamores immodicos, quibus Johannes ejuſque Fratres vocabantur ad necem. Venit mihi in mentem illius temporis quo Cardinalis florentiſſimus benevolentia litteratorum, & optimè de ſalute ac dignitate patriae meritus, ſingulari Divini Numinis providentia ex illa flamma, periculoque evolavit, & poſt ubi jam res domus afflictas, ſpemque reditus nullam fuiſſe animadvertit, peragravit Italiam, Gallias, atque Germaniam, ut exteris ea beneficia conferre poſſet, quae ſui recipere detrectaſſent (1). In hoc enim exilio tam diuturno, tam moleſto, tamque difficili, an quidquam putatis de Johannis liberalitate dereptum? Habuit ille etiam tum, habuit, inquam, ſapientiſſimos in locis pleriſque homines, quos magno ſumtu aleret, ſingularibuſque beneficiis, ut ferebant tempora, cumularet (2). Non ſum neſcius, fuiſſe aliquos, qui Juvenem ſerio admonerent, ut ſibi a tantis largitionibus temperaret: venturum enim tempus, ajebant, quo rei familiaris inopia, neque alios, neque se ipſum ſuſtentare poſſet (3). Sed ille: ego ne, inquit, ut deſeram meos? egone ab iis divelli patiar? (4). Viris excelſo animo praeditis magno ſemper Deus praeſidio fuit & adjumento. Itaque haec ſolitudo, haec inopia, haec aerumnarum vis atque multitudo, non periculum mihi, ſed praeſidium denunciant, neque ſolum, ut quieto, ſed etiam ut magno ſim animo adhortantur. O vocem dignam homine liberali, magnanimo, ſapiente! Tantumne amor erga doctos viros valere aliquando potuit?

Quod ſi tantum in ſqualore atque in triſtitia valuit, quantum rogo cenſetis eum in ſummo imperio valuiſſe! Poſt decem & octo annorum exilium, civitati reſtitutus, cum ibi aliquantum temporis verſatus eſſet, nunciatum eſt deceſſiſſe Julium Pontificem (5). Nihil ergo cunctatus Romam ſe confert, paulloque poſt in Sacris Patrum comitiis Pontifex ipſe deligitur. Nequeo illa bonorum quanta fuerint gaudia judicare. Quo enim Senatus Apoſtolicus die laetior? quo plebis (6), quo Civium omnium generum atque ordinum, quo virorum doctrina praeſtantium concurſus umquam frequentior? Tum ſane populus Romanus univerſus non unius diei gratulationem, ſed aeternitatem

(1) *Jovius lib 1, pag 25.*
(2) Jovius lib 1. *de Vita Leonis pag. 30. Alcyonius in Leg. Med. pag. 48.*
(3) *Jovius ibid.* (4) *Jovius ibid.*
(5) *Jov. de Vita Leonis p. 56. Paris Craſſus in Diar. ad an. 1513.*
(6) Paris Craſſus in Diar. quod extat Ms. in Biblioth. *S. M. S. M.*

tatem quamdam, & immortalitatem apprecari ſe novo Pontifici multis indiciis demonſtravit. Eum quippe Rectorem, eum Principem, eum Pontificem ſibi contigiſſe videbant, qui orbi Chriſtiano quanta, non dicam ſperare, ſed ne animis quidem concipere poſſent, beneficia collaturus, qui invecturus beatiſſimum ſaeculum, qui omni liberalitatis ac munificentiae genere, ut antea Cardinalis fecerat, ſapientes omnes, artifices, plebemque ipſam expleturus eſſet. Nec vero ſua illos fefellit opinio. Nam Leo, uti ſe ad Petri Sedem evectum vidit, continuo ad gloriam, & amplitudinem Urbi reſtituendam, & ad augendam rempublicam litterarum adjecit animum (1).

Neminem eſſe hominem arbitror, quem praetereat, plurimum eſſe in Principe laudandam dijudicandi, diſcernendique doctos ab imperitis & ardelionibus facultatem. Fit enim fere ut magiſtratus inſcientia omnia paſſim turbentur, virtutum praemia indigni rapiant, & qui ultro ridiculi facetique ſcurrae videri volunt, ſingularibus, & novis honoribus decorentur. Etenim quum facultatem eam profiteri ſoleant, qua cachinnos excitent, ſalſi nimirum, atque arguti cenſentur eſſe, quocirca non regendis tantummodo Cathedris, ſed populis etiam gubernandis, inſtituendiſque præficiuntur. Quare nihil eſt, quod imperiti, minuſque cauti Principis tempore genus hoc nebulonum non audeat; nulla dignitas eſt ad quam non aſpiret, nullum Collegium Litteratorum, in quod irridendo denteque maledico ceteros lacerando, eorum gratia, & potentia non invadat, qui profecto, quo plus propter nobilitatem poſſunt, eo minus quantum poſſint deberent oſtendere. Ita fit, ut paucorum vitio multorum gloria concidat, totiuſque Ordinis ſplendor exiſtimatioque tollatur. Quamobrem jure boni omnes laetari vehementer ſolent, quoties eos ſibi divinitus datos eſſe Duces intelligunt, qui cum opibus, ſolertia, dexteritateque ingenii polleant, tum juſtitia, & liberalitate cenſeri, praeclarique apud ſapientes haberi deſiderant. Si cui autem hoc tantum ingenium largita natura eſt, hunc ego Leonem Decimum fuiſſe defendo. Numquam enim animum inducam, ut arbitrer, defuiſſe illi admirabilem quamdam celeritatem dijudicandi quid hominis cujuſque facultas valeret, qui tam argute conjiciebat, quae eſſet aequa viribus uniuſcujuſque materia, qui ex libris in lucem quotidie prodeuntibus, appoſite ſolebat diſtinguere, uter eſſet praeſtantior, is ne qui Romae, an is, qui alibi vitam degeret, qui neminem digni-

(1) *Jovius lib. 3. de Vita Leonis pag. 58.*

dignitate, aut officio ullo donatum voluit, qui ad illud natus non eſſe videretur. Vos ego, ſapientiſſimi viri appello, vos teſtor, quos mihi Divina quaedam ſors dedit auditores: dicite quos ille viros diligenter undique conquiſitos Romam vocaverit, ut Athenaeum hoc veſtrum, quod, neſcio quo fato jacebat, rurſum induſtria ſua erigeret, priſtinaeque redderet majeſtati. Quis enim ea aetate Hieronymo Buticella (1) in jure dicundo? Quis Auguſtino (2) Sveſſano in Philoſophicis? Quis Chriſtophoro (3) Arretino in Medicis? Quis Jano Parrhaſio Conſentino in liberalibus diſciplinis exercitatior (4) fuit? Quid? Donatus Polius (5), Celſus Mellinus (6) Thomas Phaedrus (7) Antonius Amiterninus (8) Auguſtus Valdus (9) politi imprimis homines, nonne recondita quadam eruditione praeſtiterunt? His doctoribus adhibitis, laus Academiae veſtrae ita ducta ab humili pervenit ad ſummum, ut nulla tum eſſet in Europa, qua cum non poſſet de celebritate contendere (10). Illud unum deſiderabatur, ut ſermonem Atticum Graeciae languenti eriperet, & in hanc Urbem, atque in hoc Auguſtum Lyceum perferret, quemadmodum ex ea regione artes omnes, & diſciplinas majores ejus Florentiam ante tranſtulerant. Conjecit ergo oculos ſolertiſſi-

(1) Hieronymus Buticella Papienſis gravis imprimis ac celebris juris conſultus in Romano Athenaeo ſub Leone X. jus civile ſumma cum laude explicavit. *Jov. lib. 3. de Vita Leonis X. pag. 58.*

(2) *Jov. ibid.*

(3) *Jov. ibid.*

(4) Extat ad Janum Parrhaſium Petri Bembi nomine Leonis X data Epiſt. *lib. 9. Epiſt. 39.* eſt autem ea hujuſmodi. *Cum id magnopere optem, ut Romanus Litterarum ludus A PRAESTANTISSIMIS DOCTORIBUS exerceatur, ut ii qui ſe bonis artibus dediderunt, ea ex re fructus uberrimos percipiant: de tua in minoribus ſtudiis doctrina certior factus, ad ea publice docenda Roma te ſublegi, ſtipemque tibi dari juſſi annis ſingulis ducentorum aureorum nummum. Quare volo ut ad Urbem quamprimum venias: libens enim te audio, atque paterno volebo Dat. Romae 3. Kal. Oct. Anno 2. Roma.* Conſuli etiam poterit *Joh. Pier. Valer. lib. 1. de litterat. Infelic. pag. 287. & lib. 11. pag. 336.*

(5) Pierius Valerianus *lib. 1. de Litt. Infel. pag. 284. Donatus Polius inquit, Vir Florentinus, Romanae Cathedrae Profeſſor, Leoniſque X. familiaritate non ingnobilis, in quo multae erant, & reconditae litterae &c.*

(6) Celſum Mellinum ſumma elegantia juvenem Leoni maxime carum fuiſſe, *tradit* Pierius Valerianus *lib. 11. de Infel. Litter. p. 338.* Utrum autem hic ille ſit, qui Orationem habuit in Capitolio, quo tempore Leo X. P. M. a S. P. Q. R. ſtatua fuit donatus, plane fallor. Ut ut ſit, ea certe Oratio, quam anno 1735. publicavit Rodulphinus Venutus Vir doctiſſimus, Celſoque Mellino tribus oportere ſuſpicatur, non elegantiam ſolum, ſed etiam ſingularem Auctoris eruditionem teſtatam facit. Fuit autem is ipſe Auctor Leonis *beneficio reformati Gymnaſii anno eodem* quod munus it tantum obire poterant, qui in eodem Athenaeo aliquam facultatem publice profitebantur. *Vide laud. Orationem pag. 5. & Praefat. Venuti.*

(7) Conſule *Pierium Valerianum lib. 1. pag. 282.*

(8) *Pier. Valer. lib. 1. pag. 285.*

(9) *Pier. Valer. lib. 1. pag. 286.*

(10) Paulus Jovius *lib. 3. de Vita Leonis X. pag. 58. Gymnaſium, inquit, accitis undique graviſſimarum artium Profeſſoribus, ita inſtauravit, ut neque Bononienſi, neque Patavino, vel Doctorum praeſtantia, vel auditorum concurſu concedere videretur.*

tiſſimus Pontifex in Baſilium Chalcocondylam, quem tametſi juvenem admodum (1) eſſe cognoſceret, quoniam tamen non aetatis, ſed ſcientiae rationem haberi oportere cenſebat, nihil praetermiſit, quod hominem poſſet allicere, ut Romam veniret, atque illud onus ſubire pateretur. In ſumma copia Magiſtrorum, in maxima diſcentium multitudine, praeſtantiſſimis ingeniis hominum, ſingularibus propoſitis praemiis, incredibile dictu eſt, quod nomen, quae ſpecies, quae dignitas, quae majeſtas Athenaeo veſtro acceſſerit.

Sed quid ego de Academia loquor? Circumſpicite celeriter animo, quae tum fuerit hujus Ampliſſimae Urbis facies: cognoſcetis profecto nullam domum illuſtrem fuiſſe, nullum Sacerdotum Collegium quod, gloria litterarum careret. Aureum (2) illud Auguſti ſaeculum ea aetate rediiſſe non inepte, neque inſcite a quibuſdam eſt judicatum, cum Poetae, Oratores, Philoſophi, & quidquid eſſet eruditorum, non modo Principis gratia, ſed etiam muneribus fruerentur (3). Non ego hic Scipionem Carteromachum (4) non Camillum Portium (5) non Johannem Antonim Pollionem (6) non Mutium Aurelium (7) ſplendido ceteroquin ingenio, & a Leone plurimum eorum merito decoratos, & auctos

(1) Vide Pierium Valerianum *lib.* 12. *pag.* 337. *& Jovium in Elogiis pag.* 56.

(2) C. Silvenus Germanicus *Carmin. in Statuam Leonis X. pag.* 276. *Edit.* Venet. An. 1735.

Reddita Roma ſibi eſt, atta ſque revertitur auri,
Laudatos referens mores, nec diſſona ſaeclo,
Ingenii vis ulla viget, facundia linguae
Major adeſt, ſeu jura foro tractare neceſſe,
Carmine ſeu claros docto memorare triumphos,
Sive cruenta placet bellorum gloria, nunquam
Vis tam multa fuit, tantum ſe tempora mutant
Principis in mores, quae nam ſine munere virtus,
Quae non in pretio eſt, Magno regnante Leone.

Eraſmus quoque Roterodamus *Epiſt.* 174. col. 150 *ſenſit, inquit, alter mundus Leonem gubernaculis rerum admotum, repente ſaeculum illud pluſquam ferreum, in aureum verſum &c.*

(3) *Eraſmus ibid.* Petrus Alcyonius *in Med. Leg. Prior. pag.* 10. *&c.*

(4) Scipio Carteromachus Piſtorienſis Angeli Politiani auditor, ut ex illius ad Politianum Epiſtolis conſtat, *tametſi latinus erat, attamen vel Graeci ipſi in ſuae linguae cognitione, & ſubtilitate primas deferebant* [*Alcyon. in med. Leg. Poſter. pag.* 179.] *ab* Johanne Medice Cardinali, & Legato Julii II *liberaliſſime tractatus eſt* [*Alcyon. ibid. pag.* 247.] poſt Johanne ad Summum Pontificatum evecto plurimum gratia apud Principem valuit. Vide Pierium Valerianum *lib.* 11. *pag.* 356. 59.

(5) *Nihil dictione* Camilli Portii *ſuavius, nihil jucundius, nihil expolitius habebatur. Is a Leone X. P. M. Aprutinae Eccleſiae praefectus fuit, poſteaquam Romanam Cathedram ſumma cum laude rexiſſet.* Pier. *lib.* 1. *p.* 266.

(6) *Vide Pierium lib.* 2. *pag.* 273.

(7) *Mutius Arelius Mantuanus, Magni & elegantis juvenis ingenio .... brevi admodum temporis curriculo magnum Poetam profeſſus eſt quam juvenis promiſſitudinem admiratus Leo X. P. M. ne tali deeſſet ingenio, arci eum Mondulphiae praefecit &c Pier. Valer. lib.* 2. *pag.* 283.

ctos, proferam. Mitto Camillum Palleottum (1) elegantis litteraturae juvenem, Julianum Camertem (2) Franciſcum Priulum (3) Latinum Juvenalem (4) Johannem Franciſcum Roboreum (5) Guidonem Poſthumum alioſque ſexcentos, ad quorum amplitudinem ſtudium, laborem (6), & diligentiam conferebat. Ille Philippum Beroaldum juniorem (7) cujus acumen, elegantiam, doctrinam atque virtutem longa coſtantique experientia perſpectam habebat, Palatinae Bibliothecae praefecit; Andream Laſcarem affecit (8) maximis beneficiis; & ad alias dignitates primum, poſt ad Epiſcopatum Epidavrenſem evexit Marcum Muſurum (9) deditque operam, ut qui paribus meritis eſſent instructi, paria quoque praemia conſequerentur.

Verum res ipſa omnino poſtulat, quoniam de Muſuro tempus admonuit, paucis repetere, quae paullo ante ipſum inter, & Pontificem intercesſerant. Cupiebat magnopere Leo Graecum ſermonem, & diſciplinas prope deperditas reſtituere, cumque jam magna eſſet apud omnes de Muſuri dexteritate, & judicio ſingulari opinio, datis ad hominem litteris, vehementer eſt adhortatus, ut ſuſciperet diligentem curam adducendi e Graecia decem, aut ſane quot vellet bona indole, liberalique ingenio pueros, unde latius vetuſtiſſimae linguae verus germanuſque ſenſus pateret (10) & tamquam ſeminarium quoddam bonarum artium inſtitui conficique poſſet. Quid ego nunc praeclarum hoc facinus praedicem? Extenuarem videlicet Leonis gloriam, ſi verbis illud vellem amplificare. Videtis ipſi, nihil eſſe laudabilius; nihil Sapientiſſimo Principe dignius, quam populis afflictis, atque vexatis opem intendere, curare ut pueri quoque ipſi ſplendido ingenio praediti fructum aliquem virtutis reportent, mandare hoc tantum negotium iis, qui gerere illud poſſent pro dignitate, vetereſque artes & linguas quaſi civitate donare, quae in Graecia locum ubi conſiſterent, non habebant?

Quod ſi Academia, ſi Urbs ipſa tota litterarum gloria ſumma florebat, ſi qui ſuum in aliquo genere ſtudiorum nomen profitebantur, me-

(1) *Pier. ibid pag.289.*
(2) *Pier. ibid. pag.14.*
(3) *Pier. ibid. pag.318.*
(4) *Bembus in Praef. ad Epiſt. Leonis X. nomine ab ſe ſcriptas.*
(5) *Pierius ibid lib.21.pag 362.*
(6) *Jovius in Elogiis pag.131.*
(7) *Pierius ibid, lib. 2, pag. 209, Jovius lib.3. De Vita Leon. X pag 58.*
(8) *Jovius in Elog. pag. 60. & Paulus Freherus in Theatro Viror. Erud. Tom 2 pag 1430.*
(9) *Jov. in Elog. pag. 58. Pier. lib.22. pagin. 267.*
(10) *Bembus lib. 4. Epiſt. Leonis X. nomine ſcript. Epiſt. 8. pag.32.*

merita gloria fraudari Leonis aetate non poterant, quis non videt, hoc idem omnino in Aula contingere debuiſſe? revocate quaeſo in memoriam, Auditores, quos ille ab Epiſtolis, quos a ceremoniis, quos a ſecretis ſibi eſſe voluerit, atque inde conjicite, dignitates ceteras iis fuiſſe collatas, qui ad eas tuendas maxime apti eſſe viderentur. Quotidiano ſermone epiſtolae ſunt texendae. Nam reliquarum artium ſtudia reconditis fere atque abditis e fontibus hauriuntur; in ſcribendo autem, cum elegantia ſervanda imprimis ſit, tum vitium vel maximum eſt a vulgari genere orationis, & a communis ſenſus conſuetudine abhorrere. Fingite nunc ſi poteſtis aliquos, qui hac facultate mirifice excelluerint. Hi certe Bembus, & Sadoletus fuerint, neceſſe eſt. His Leo ſimulatque renunciatus eſt Pontifex (1) onus illud impoſuit, ſi tamen onus eſt appellandum, quod cum gloria feras & voluptate, atque hos ipſos in eodem munere fungendo, quoad vixit, principes ſemper adhibuit. Quid de Paride Craſſio (2) dicam quem ceremoniarum, ut vocant, Magiſtrum elegit? Nonne in ritibus Eccleſiaſticis ita fuit verſatus, ut de genere illo rerum multa poſteris reliquerit praeſtantiſſimi ingenii monumenta? (3) Longum eſt alios recenſere. (4) Hoc breve dico; nulli ad honores cui iae patuit aditus, qui in eo munere obeundo alteri cuiquam aut doctrina, aut dexteritate, aut experientia cedere poſſe videretur.

Sed minus, dicet aliquis, Theologis tribuebat. (5) Ita ne vero? Iiſne minus deferebat Leo, quos locabat in altis ampliſque gradibus honoris, & dignitatis? Undenam rogo haec tam inepta exorta ſuſpicio eſt. Non fuit ille adeo rudis, & imperitus, ut ignoraret, quae ſint Summi omnium Antiſtitis munera. Noverat ſane, quod ſi Principi divinitus datum fuerit, ut rebus ſacris religioniſque ceremoniis cum ſalute Reipublicae praeſit, is nihil potius, aut antiquius habere debeat, quam augere, ac late longeque propagare facultates eas, quae in jure ſacrorum, in ſacerdotum diſciplina, & in divinarum rerum inveſtigatione verſantur.

(1) Petrus Bembus *lib.* 11. *Hiſtor. Venet.* *pag.* 337. *Tom.* 1. *Edit. an.* 1724. & Paulus Jovius *lib.* 3. *de Vita Leonis X. pag.* 58.

(2) Paris Craſſius in *Diar.*

(3) Scripſit *de Ceremoniis Cardinalium, & Epiſcoporum*. Ord. Romanum variaſque ritus Eccleſiaſticos multis operibus illuſtravit. Diarium quoque rerum geſtarum Leonis X. elucubravit, quod cum in locis pleriſque tum in hac noſtra Biblioth. S.M.S.M. ſerv. Mſ.

(4) Videndi Pierius *lib. de Infel. literator.* Paulus Jovius *in Elogiis*, & Lilius Giraldus in *Dialogo de Poetis ſuorum temporum*, & in *Paraeneſi adverſus Ingratos*.

(5) Id enim vitii exprobrant Leoni Hiſtorici quidam, quorum nomini parco, quamvis eorum libri omnium manibus teri ſoleant. vide Natalem Alex. ſaec. 14. c. 1. art. 13.

tur. Ac cenſeo equidem Theologorum numero eos tantummodo haberi oportere, qui in ſacris Biblis, in doctrina Conciliorum, in praeſcriptis Romanorum Antiſtitum, atque in Patrum operibus ſunt exercitati. Nam etſi diſciplinae omnes, quae natura duce comparari ab homine poſſunt, rationis principiis inſiſtere ſoleant; in Theologia tamen, quae res divinas ab oculis,& mentis lumine remotas conſiderat, non tam rationis, quam auctoritatis momenta quaerenda ſunt.

Attendite nunc quanti paucos eos, qui tum vigebant, generis hujuſce Theologos Leo Maximus fecerit. Non perſequar oratione ampliſſima praemia, quibus Johannem Canigianum (1) Garſiam Loayſam (2) Cyprianum Benetum (3) Thomam Albizzium (4) cumulavit. Non loquar de Silveſtro Prierate (5) quem Magiſtrum ſacri Palatii declaravit, non de Zenobio Acciajolo (6) quem Vaticanae Bibliothecae praeſecit, non de Auguſtino Juſtiniano primo illo *Heptaplorum*

(1) Johannes Maria Canigianus Dominicanus Theologus vir Sanctiſſimus, & eruditione conſpicuus a Leone X. P. Maximo anno 1515. Monachis Vallis Umbroſae praepoſitus fuit, poſtquam an. 1514. Congregationem Florentinam Sancti Marci admirabili aequitate adminiſtraſſet. Ejus mentio fit non ſolum in Ms. Chronico S. Marci, ſed etiam in Capitulo Generali FF. PP. Neapoli celebrato *an. 1515. Item acceptamus ad beneficia Ordinis, & ſuffragia R. P. F. Johannem Mariam Canigianum ex noſtro Ordine per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum in Abbatem Generalem Ordinis Vallis Umbroſae aſſumtum.*

(2) De Garſia Loayſa Hiſpano Theologo praeſtantiſſimo, & xxxix. Generali Magiſtro Fratrum Praed. poſt Cardinali, Leoni imprimis accepto, conſulitor Echardus *Tom. II. Script. Ord. Praed. pag. 39*

(3) Meminerunt quidem Cypriani Beneti Aragonenſis *Ord. Praed. Theologi Heſſengrenius, Simlerus, Labbeus, Nicolaus Antonius Pius, Altamura, Echardus*, & alii ſine multis; ſed nemo quiſquam animadvertit, eum ſub *Leone X.* in Romano Archigymnaſio ſumma cum laude rexiſſe Cathedram Theologicam. Id vero conſtat ex illius *Tractatu de Prima Orbis ſede, &c.* quem eidem Summo Pontifici dedicavit.

(4) Thomas Albizzius Florentinus Ord. Praed. ob ſingularem in rebus Theologicis eruditionem a Leone X. ad Epiſcopatum Callienſem evectus eſt anno 1513. *Vide Echardum Tomo ſecundo Scriptorum Ordinis Praedicatorum pagina quinquageſima tertia*, quo loco laudes tanti viri fuſe perſequitur. Sunt etiam alii, qui eum celebrant, quos praetereo.

(5) Echardus *Tom. II. Scriptor. Ord. Praed. pag. 55. Anno 1415. extincto Romae Fr. Johanne de Rafanellis .... Sacri Palatii Magiſtro, a Leone X. .... ipſo etiam inſperanti Thoma Cajetano Ordinis Magiſtro, eidem Pontifici acceptiſſimo, ad idem munus ſublectus eſt,* Silveſter Prierias, *qui a Julio II. audita viri praeſtantia, Romam accitus fuerat anno 1511. ut Sacras ibidem litteras publice profiteretur ſtatuto ſtipendio.* Laudant Silveſtrum, Leander Albertus ejus auditor, Simlerus, Geſnerus, Oleatius, Gerardus Johannes Voſſius & alii, quos ſciens praetermitto.

(6) Zenobius Acciajolus Florentinus Ord. Praed. ſingulari linguarum Graecae, & Latinae peritia valuit. Adoleſcens Politiano, Marſilio Ficino, Marco Antonio Sabellico, perquam familiariter uſus eſt. Poſt Praedicatorum Familiae in Coenobio Sancti Marci nomen dedit, ut ex *Chronico Ms.* ejuſdem *Coenobii* plane liquet. Tum vero Sanctorum lectioni vacare coepit, diligenterque navavit operam, ut quorumdam Patrum lucubrationes ex Graeco hu-

rum poſt Origenem conditore (1) non de Nicolao Schonbergio, (2) non de ceteris Dominicanis Theologis, quos Antiſtitum infulis decoravit. Non tam ſum ignarus, Auditores, non tam inſolens in dicendo, ut omni ex genere orationem aucuper, & omnes undique floſculos carpam, atque delibem. Scio quid gravitas veſtra, quid hic conventus, quid dignitas Leonis X. quid magnitudo rerum ab eo geſtarum poſtulet. Praetermittam minora omnia, quorum ſimile forſitan alii quoque quidpiam aliquando fecerunt. Nihil dicam, niſi ſingulare, nihil, quod ſi de alio quopiam dicerem non mirabile videretur. Omnes omnium gentium atque Ordinum illuſtres Theologos laudare, adire etiam ipſe per ſe ſecum liceret, attentiſſimo animo ſumma cum benignitate audire, praemiis deinde afficere; ac, ſi apti quidem fuiſſent, Eccleſiis rebuſque ſacris praeponere, ſin autem privati majora commoda importare in Chriſtianam Rempublicam potuiſſent, aliis honorum generibus augere ſolebat ne quiſquam, Leone Pontifice, virtutem minus valuiſſe arbitraretur. Ille cum Florentiam contendiſſet, invitavit ſocios itineris Cardinales, ut ſecum una ad Sancti Marci Coenobium ire vellent, quod Coſmus Medices Pater Patriae a fundamentis erexerat, ibique

mis, latinas faceret atque bonas. Praeſtat autem ipſius verba referre ex Epiſt. nuncupatoria ad Leonem X. quae extat in Edit. Operis Theodoriti de curandis Graecorum Affectiva. Pariſiis 1514. *Nunc, quidem, inquit rerum Mundi vanitatem pertaeſus, Religionem cum priore vita commutavi, gentis veſtrae beneficus numquam rarus. Etenim in Coenobio Divi Marci, quod Magnus Coſmus proavus tuus a fundamentis extruxit, Deo jam annos aliquot famulatus, e publica gratis veſtrae Bibliotheca, quam Coſmus ibi lucubrandam aperuit, & ex ea quam juſſu Patris tui Johannes Laſcaris generoſus homo, atque doctiſſimus e Graeciae latebris Florentiam importavit, fructus maximos ſuaviſſimoſque percepi, ſaepe etiam ibi cum patribus illis meis ab ingruentibus maximis periculis bonitatis tuae pro fide liberatus. Ad quae Patris tui meique majorumque tuorum beneficia, tu id mihi ſeorſum, Pater Beatiſſime contuliſti, quod ad pedes tuos gratulandi cauſſa provolutum, in Urbano S. Silveſtri Oratorio ad honeſtam ſtudiorum quietem humaniſſime collocaſti, utraeque aetati jam ad ſenectutem vergenti deeſſe nil patris, quod ad Religioſi ſtudioſique hominis neceſſarios uſus commodaque pertineat, &c.* Zenobium porro a Leone Bibliothecae Vaticanae fuiſſe praefectum tradunt Poſſevinus *ad V. Zenobius*, Erhardus *Tom. 11. pag. 45.* & alii plerique.

(1) Auguſtinus Juſtinianus Vir Hebraice, Graece, Chaldaice, &c. doctus a Leone X. ad Epiſcopatum Nebienſem promotus eſt. Edidit Pſalterium *Hebraeum, Graecum, Arabicum, & Chaldaicum, cum tribus latinis interpretationibus*, quod Leoni nostro nuncupavit. Vide Echardum *Tom. 11. Scriptor. Ordin. Praedicat. pag. 98.*

(2) Nicolaum Schombergium laudat imprimis Alcyonius in *Med. Legato Priore ſub init.* Laudant & alii plerique apud Echardum. *Tom. 11. pagin. 103.* In Editione poſtrema Epiſtolarum Petri Bembi *Leonis X. nomine Scriptarum* Auguſtinianus fuiſſe dicitur, neſcio quo *errore*. Fuit enim Dominicanus. Nam in Coenobio S. Marci Florentiae veſtem Ordinis a H. S. accepit *an. 1497.* ibique profeſſionem emiſit, ut ex Mſ. Chronico Profeſſ. Coen. S. Marci plane colligitur. Ob ſingularem doctrinam a Leone X. Epiſcopus Capuanus renunciatus eſt.

que ſolido die manere, (1) ut eorum colloquiis frui poſſent, qui non modo Linguarum Orientalium, ſed rerum etiam Theologicarum peritia dicebantur excellere. Quid ego nunc referam, quos cum Pagnino, & ceteris omnibus ſermones conſeruit? Vidit tum quidem florentiſſima civitas Summum Chriſtiani Orbis Antiſtitem hortari vehementer Pagninum, virum optimum, Graece, Hebraiceque maxime doctum & ſua aetate Theologorum facile Principem, ut Interpretationi Latinae Sacrorum Bibliorum ſupremam manum imponeret. Sed parum fuit verbis hominem excitaſſe ad tantum opus perficiendum. Romam enim reverſus Pontifex, nullam moram ſibi eſſe interponendam putavit, quin Sanctem vocaret ad ſe, magnam verſionis partem evolveret, deinde ingentem pecuniae vim atque copiam ſuppeditaret, quo exacta ad Codices manuſcriptos, ac numeris omnibus abſoluta Interpretatio, & exſcribi diligenter, & typis commode excudi poſſet. (2) Plura ejuſmodi opera a ſummis viris non cogitata ſolum, ſed etiam ſcripta, non promiſſa, ſed in lucem Leonis ſumtibus edita, ac publicata ſi per otium liceret, commemorarem. Verum, ut extremum habeat aliquid Oratio mea, & ut ego ante dicendi finem faciam, quam vos me tam attente audiendi, concludam paucis, quae ſunt de Theologis a tanto Pontifice in ſacrum Cardinalium Collegium cooptatis. Nihil enim quiſquam poteſt ex omni memoria illuſtrius ſumere, quam uno eodemque die tot viros tanta peritia fuiſſe ad ampliſſimam illam dignitatem evectos? Admirabiles quippe in Theologia, & jure canonico progreſſus & laudes Pauli Æmilii Caeſii, Alexandri Caeſarini, Trivultiorum, Jacobatii, Campegii, Ægidii Viterbienſis, Thomae Cajetani celebrabuntur illae quidem, non ſolum noſtris, ſed pene omnium gentium linguis, neque ulla unquam aetas de illorum laudibus conticeſcet. (3) His nempe quorum opera ſaepe, ac multum pervolverat, quos in ſynodo Lateranenſi

(1) Ex Paride Craſſo *Diar. Ad Annum* 1516 & ex *Memori: Mſs. Coenobii S. Marci*, Sacro Epiphaniae die factum id a Leone juſſe conſtat.

(2) Sanctes Paganinus Lucenſis Ord Praed. Theologus imprimis celebris *Epiſt Nuncup* ad *Clem VII.* Leo *X* inquit, *me tum Romae agentem, accitu, quam olim eius ubi averam utriuſque Teſtamenti translationem, ut ſibi oſtenderem, benigne & perhumaniter iuſſuiſſet. Et cum aliquot vidiſſet quaterniones, & ex iis ceteras ſuo praeclaro perpendiſſet ingenio, volo, inquit, ut meis impenſis, totus transcribatur liber, & typis exacte revisus excudatur tum, ut movit tua Beatitudo, non modo pro ſcribis, verum etiam pro parandis iis, quae opus erant excuſioni, impenſas ſuppeditavit, & ſequenti deinde anno nonnulla excuſa fuerunt.* Conſule Sixt Senenſ Bibl.

[3] Vide Paridem Craſſum in Diario L X. ad an. 1517. Horum Cardinalium opera quae etiamnum extant recenſent Hiſtorici Eccleſiaſt. fere omnes. *Conſule Natal. Alex. ſaec XVI. Cap. 1. Art. 13.*

Digitized by Google

nenſi de abditis reconditiſque rebus diſſerentes identidem audiverat, his, inquam, ſociis conſiliorum, his religionis propugnatoribus ſemper eſt uſus, ubi de jure ſacrorum agebatur. Ex horum numero omnium doctiſſimum, abſit verbo invidia, Cajetanum Dominicani inſtituti decus immortale ac ſempiternum delegit, quem Legatum in Germaniam mitteret, ut Lutheri haereſim, quae latius in dies manabat, funditus, ſi poſſet excinderet (1). His de tot tantiſque beneficiis in Ordinem Theologorum, quos Pontifex inviſere, quos adjuvare, quos excitare atque allicere ad ea ſtudia perficienda, quos praemiis, honoribus, & dignitatibus decorare ſtudebat, loquacium hominum conqueſtio eſſe debuit? Illum ergo Pagnini (2) luctum, illum ſqualorem illas ſordes propter unum Leonem ſuſceptas, quaſi ſacrarum diſciplinarum exiſtimatio cum ejus interitu concidiſſet, non aliunde profectas dicent, quam quod ejuſmodi ſtudiis praeſidio eſſe Pontifex noluiſſet? Non ea fuit Longolii, qui contra Lutherum ſcribebat, ſententia, cum in tanto luctu, tanta acerbitate, tantaque litterarum jactura, vitam retinere nequiverit (3). Longe etiam aliter ſentiebant Zenobius Acciajolus (4) Silvanus Germanicus, & Arſenius Monembaſienſis, Archiepiſcopus (5), aliique ſexcenti, quos hic referre longum, atque operoſum eſſet, tantae beneficentiae teſtes locupletiſſimi, qui omnium ſtudiorum a Leone ſuſceptum fuiſſe patrocinium memoriae tradiderunt. Abeant igitur, qui hanc Principi Optimo notam inurere non verentur. Haec eſt enim via, mihi credite, & laudis & honoris, a bonis Viris, ſapientibus, & bene natura conſtitutis, non a loquacibus & imperitis laudari, & diligi.

At vero ſi tanta fuit Leonis erga litteratos caritas, & beneficientia, ut in iis amplificandis operam omnem atque induſtriam conſumere videretur, quotuſquiſque animum inducet ut cenſeat, potuiſſe hominem Romanae Reipublicae totiuſque Orbis commodis, atque utilitati proſpicere? Potuit ille quidem, quamvis multa acerba & turbulenta ſua aetas

[1] Paris Craſſus ad An. 1517. *Echard. T. 2. Scriptor. Ordin. Praedicat. pag.* 15. *& alii.*

[2] Pagninus *in Epiſt. nuncup. ad Clementem VII. Sed proh dolor! illo [Leone] poſt haec brevi ex humanis ſublato . . . . gravi omnium maerore, intermiſſa ſunt omnia. Quo vulnere ſaucius cum neminem cernerem, qui meis lucubrationibus ſuppetias ferret, Italia demigrandum cenſui &c.*

[3] Vide Freher. *Tom. 2. par. 4. De Vitis Philoſoph. pag.* 1438.

[4] *Zenob. Acciaj. in Carmin.* quo complect. *Laud. Leon X.*

[5] Arſenius Monembaſienſis Archiepiſcopus in *Epiſt.* Nuncupatoria ad Leonem X. praefixa libell. τῶν ἀποφθεγμάτων &c.

aetas habuerit, potuit, inquam, rebus Chriſtianae Religionis omnibus, qua erat dexteritate conſulere, atque ita ſane conſuluit, ut nihil praetermiſerit eorum, quae ad Principis ac Pontificis optimi officium pertinerent. Evolvite Acta Synodi Lateranenſis, & ad Reges, ad Epiſcopos, ad Patriarchas in longe diſſitis regionibus conſtitutos a Leone ſcriptas epiſtolas, conſulite ſalutaria ejus de reformatione morum praeſcripta in illuſtribus poſita monumentis; comperietis profecto, reſtitutam concordiam Ordinum, extinctas ſimultates, propagatam religionem, ſublata ſchiſmata, convulſas ac debellatas haereſes, quae tum vaſtitatem Eccleſiae minabantur. Vidit eo Pontifice, Roma ſublatas civiles ac privatas diſcordias, *ocium domi, pacem foris, procul bellum, intus annonam. Ille vectigalia ſuſtulit, ille Urbem aedificiis exornavit, ille infinitam pecuniam addidit, quam in ſuum fiſcum invehi ſolitam, pro congiario Romanis Civibus perpetuo diviſit, ut ad ſolitos magiſtratus, quadringentae fere portiones numero annuae adderentur, ac totidem Cives inopes ſublevarentur* (1) Sed quid ego haec perſequor, quaſi vero memoria apud quos, & de quo homine, & de qua re loquar, exciderit? Percrebuit enim apud vos, qui praeſto adeſtis, & apud ſapientes ceteros fama quaedam perſuaſioque communis, Leonem X. Pontificem Maximum, qui umquam a ceteris publicae, privataeque rei negotiis animum avocaret, mira quadam voluntate erga omnes Ordines, omneſque artes & facultates fuiſſe propenſum. Atque utinam ille ad plures annos vitam produxiſſet! perfectum ſane fuiſſet, ut univerſa ſtudia litterarum ita Romae conſtituta manerent, ut ne lapſu quidem atque injuria temporum languere, aut debilitari poſſent. Equidem dicam ex animo, Auditores, quod ſentio. Vidit ſuperior aetas poſt intempeſtivum Leonis obitum liberales diſciplinas rurſum extingui ac pene in interitum ruere. Hoc nobis mali, hanc vaſtitatem, hoc excidium mors una Leonis X. attuliſſet; niſi Divina providentia factum fuiſſet, ut cum plures majorum noſtraque memoria Pontifices bonarum artium patroni fuerint, tum is anno ſuperiore ad Petri Sedem eveheretur, qui in augenda, propagandaque republica litterarum ſecundus eſſe Leoni non poſſet. Circumſpicite animo, quas ille inſtituerit Academias, quos viros, quanta eruditione, quantaque doctrina ſelegerit, ut de rebus Sacris, atque Romanis ſermonem haberent; videbitis profecto, & ordinem rectum ab eo, & vagan-

ti li-

[1] *Anonymus Auctor Oration. in Laud. Leon. X. quam edidit Rodulph. Venutus, pag. 127.*

JA

ti licentiae frena eſſe injecta, amotas culpas, & veteres artes revocatas in lucem. Quare id ego unum a Deo Optimo Maximo votis omnibus peto, ac poſtulo, ut quem nobis numine quodam Pontificem dedit, hunc non ſolum ſoſpitem, atque incolumem diu, ſed etiam feliciſſimum eſſe velit. Ita enim fiet, ut veſtri Ordinis auctoritas, quae Leonis tempore fuit, eadem nunc, BENEDICTO PONTIFICE, reſtituta, & confirmata eſſe videatur.

FINIS.

89 833757